

lib. 3. de Ephesiis. Sed an ad hoc Dianæ festum agoni hic spectet, non constat.

Βαβιλλίαι. In Farnesiana inscriptionis Editione Gruterianâ legimus ΒΑΒΒΙΑΔΗΑ quod ipsum in Lipsianâ, unde sumtum est, punctulis subnotatur, ac si de lectione inter exscribendum dubitatum fuisset. Marmor nostrum ΒΑΒΒΙΑΔΗΑ habet manifesto, quod ut in ΒΑΒΒΙΑΔΗΑ five quadratarum, five exscriptoris incuriâ migraret, non erat difficile. Sed non minus nescimus unde nomen hoc natum, quam hanc veram Marmoris nostri lectionem esse certo scimus. Vide ipsius Auctarium pag. 57. Hactenus Seldenus. Sed quod de origine nominis & agoni Barbilleorum profiteretur se ignorasse vir eruditissimus, ex excerptis è Dione à doctissimo Valesio postquam Seldenus hæc scripserat editis quam optime explicari potest; in illis enim de Vespasiano hæc leguntur, πύς πε Ἀστρολόγος ἐκ τῆς Ρώμης ἐξώλεσε, καί τι πᾶσι τοῖς ἀρίστοις αὐτῶν χρωμένῳ, ὡς καὶ καὶ Βαβυλλίον πνα ἄνδρα βραχύτερον ἀγῶνα τοῖς Ἐφεσίοις ἰερόν ἄγειν συγχωρήσει, ὅπερ εἰδεμῶν ἄλλη πόλει ἐνεμῆν, i. e. Astrologos etiam urbe expulit, etsi peritissimis eorum uteretur, ut in gratiam Barbillii cujusdam Astrologi Ephesiis sacrum Agonem celebrare concesserit, quod nulli alii civitati indulgit.

Ἐπίδαυρον Ασκληπεία. Hæc memorat etiam Farnesiana. Alibi occurrere non memini.

Ἀθῶναις Ἀδριανεία. Adrianalia Athenis habentur in Inscriptione illa de Achiristo apud Gruterum pag. 317. quam vide item apud Scaligerum ad numerum Eusebianum 2147, sed emendatiorem in Salmastii Notis ad Spartianum. Fanum Adriano Athenis sacrum est, Panellenion dictum; atque is ἐπὶ αὐτῶν, seu juxta idem (ut scribit Xiphilinus) Certamen instituit quod ipsa Adrianalia heic fuisse existimo. Neque cur Panellenia id nuncupatum esse censendum sit video, tametsi, eo quod Fanum Panellenium dicebatur, ideo & agonem cognominem fuisse velit vir doctissimus. Memorantur, opinor, hæc sacra certamina cum aliis in Farnesiana Hermodori; Ἐ Παναθῶναια, Ὀλύμπια, Γαυρελλῶναια, Ἀδριανεία δὲ. Viro summo qui tum in libris de Emendatione, tum ad Eusebium, quatuor hæc vocabula unum agonem, adeoque ipsa tantum Adrianalia Athenis denotasse vult, nullus assensum præbeo. Quot vocabula, tot certamina magis innuuntur; atque omnia Athenis peracta. Per ἑ. παναθῶναια Panathenæa Pentaeterica, seu majora intelligo. Nam Minora (quæ & vetustiora erant) quotannis, seu post minorem periodum elapsam, celebrabantur. De utrisque vide quæ supra notantur in Notis Historicis ad Græcorum Epochas, præter Harpocrationem, Suidam, & autorem argumenti Orationis Demosthenis adversus Midiam. Ut igitur justâ Certaminis distinctione expressior honoris Victori fieret accessio, Ἐ Παναθῶναια dici videntur, pro Πενταετηρικῆς seu quinquennialibus. Neque ab alia ratione opinor πῶς. postea postea in eodem Saxo præfigitur τοῖς κρηνοῖς τῆς Ἀσίας. Quemadmodum enim Panathenæa (quo nomine signanter dicta sunt sacra Atheniensium, seu omnium qui Attici ruris accolæ erant, Certamina Communia) & minora erant, & majora quæ etiam quinquennialia; ita etiam in Asia minori, quæ Atticos mores plerunque imberat, Communia sentiendum est sacra ad eundem modum quandoque divisa esse. Et Panionium, pro communibus Ionum sacris non dissimili notione legitur apud Philostratum in vita Apollonii lib. 4. cap. 2. Ita fit ut ἑ. κρηνὰς Ἀσίας, pro quinquennialibus Communibus Asiæ capienda sint, non pro quinque communibus seu Civitatibus Asiæ, ut volunt aliqui. Ita recte à minoribus etiam determinata sunt. Olympia, quæ in Farnesiana hoc loco sequuntur, Attica item erant, uti etiam Panellenia. Atque eorum origines Adrianum seculis plurimis antevertunt. Videtis Scholiastem ad Pindari Olympionicon Odem 7. Quin & Adrianalia ibi, Attica similiter puto erant; sed Athenarum nomine ideo forte minime notata quod, post Panathenæorum

men.